

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale,|| In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

Capvt IIII. De Confeßionis Defectibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

CAPVT IIII.

De Confessionis De- fectibus.

*Estne aliquis abusus in Con-
fessione?*

*Quæstio
I.*

Respoſio.

NI H I L est in Ecclesia tam san-
ctum, & tam Diuinè institutum,
quo mali & iniqui homines non
abutantur. Christi satisfactiōne,
quam is pro abolēndis totius humani gene-
ris peccatis, cum tanta sanguinis effusione
egit in cruce; reperirīne aliquid sanctius, &
Diuinius potest? Non profectō: Et tamen
homines, qui sensū, non Spiritus ductum
sequuntur, in occasionem carnis, & desidiae,
illam accipiunt; & ita quod ad vitam insti-
tutum remedium est, fit venenum ad mor-
tem. Idem quoque multis modis in Pœni-
tentia Sacramento euenire posse, neminem
dubitare existimo.

D. Ambrosius reprehendit eos, qui nul-
lam aliam pœnitentiam agunt; nisi quod se pœni- Ambr. de
dist.
Sacramentis tantum abstinent, eosque mi- i. cap. Sunct
seros interea appellat, qui cùm deberent eam qui,
agere, ut communionem acciperent, nolunt
tamen, ut non communicent.

H 3

Alibi

Caput IIII. De Confessionis

Ambro. in Alibi inuehitur in eos, qui, cùm à Sacer-
Apol. Da- dotibus corripiuntur, peccatum suum ag-
uid, cap. 2. grauant, dum illud negare cupiunt, aut de-
fendere: Aßlerens, quòd eorum lapsus ibi fit
maior, vbi spernitur correctio.

Gre. hom. Gregorius malos Sacerdotes, qui iniuste
26. super il ligant, absoluuntque homines, taxat; cùm
la verba lo- non causalarum merita, sed voluntatis dun-
ānis: **Quo-** taxat suæ motus sequuntur.

rum remi- D. Augustinus Auxilium Episcopum re-
seritis &c. prehendit, quòd vna Anathematis sententiā,
Aug: Au- omnes vnius domus animas, etiam quæ non
xilio Episc. peccauerint, indistinctè percuaserit.
epift. 75.

Quæstio Potestne Confessio esse vera, integra,
II. valida, et per quam satisfit Eccle-
siæ præcepto, et nihilominus
gratiæ expers?

Respoſio. COnfessio est vel virtutis Pœnitentie pars,
vel est ipfius Sacrameti pars. Si priori mo-
do consideremus Confessionem; nequit esse
informis, id est, sine gratia: Propterea quòd
omnis virtutis actus meritorius sit; meri-
torius autem absq; gratia est non potest. At
si consideretur, vt est pars Sacramenti Pœni-
tentiae, contingit eam esse validam, veram,
& secundum substantiam, integrum: nihilominus
tamen gratia vacuam, & ad salutem
inefficacem. Quod probatur.

PR. I.

PRIMO, quia Confessio, pro ut est pars Sacramenti, nihil aliud est, quam quædam accusatio, qua homo suam conscientiam Sacerdoti clauibus Ecclesiæ fungenti fideliter manifestat. Potest autem peccator in peccato persistens, cuncta sua peccata fideliter Sacerdoti patefacere, subdendo se illi, ut remedium ei prouideat. Ergo potest Confessio esse informis; nempe ut sit impletio præcepti absque effectu gratiæ.

DEINDE, omnia reliqua præcepta possunt impleri sine gratia, quoad substantiam actus, ut tradit tota Patrum Theologia. Igitur & præceptum Confessionis, & reliquorum Sacramentorum.

INSUPER, Baptismus cum proposito peccandi, atq; idcirco sine gratia suscepimus, est verum Sacmentū, quod nullo causa iterari debet: Igitur & Sacmentum Pœnitentiæ; quod probatur: quia tam hic, quam in Baptismo, Sacmentum, & res Sacrae, id est gratia, sunt res distinctæ; ita ut una impleri queat sine altera. Fieri ergo potest, ut pœnitens dispositus sit duntaxat ad percipiendum Sacmentum, & non ad gratiæ susceptionem.

VLTIMO, si præceptum Confessionis non posset impleri absque gratia; ipsa Confessio magis turbaret conscientias, quam serenaret; cum nemo sciat, sitne in gratia, vel extra gratiam. Vnde pœnitens semper fo-

H 3 ret an-

Caput IIII. De Confessionis

ret anxius, satisfecissetne præcepto Confessionis, nécne.

Notandum etiam est, quod nullum aliud Sacramentum dicitur informe, et si effectu careat, sed inefficax. Nam et si omnia sint causa gratiae: Nullum tamen eandem in se recipit; quia eorum materia est res extrinseca, quae gratiae capax non est. Huic vero est peculiare, quod dicatur informe; quia eius materia, quae sunt actus poenitentis, possunt informari gratia & charitate, quae sunt effectus Sacramenti: atque ideo dum Sacramentum est inefficax, dicitur informis esse Confessio.

Quæstio III. Vnde prouenit Confessionis informitas?

Respoſio. QVOD Confessio frustretur aliquando gratia, in causa esse potest, vel Confessorius, vel ipse poenitens. Confessorius quidem; si aut absoluere non intendat, aut verba Absolutionis non proferat. Veruntamen si poenitens vera praeditus fuerit contritione, licet non consequatur gratiam virtute Sacramenti: attamen pro ratione sua humilitatis, obedientiae, & contritionis, iustificationis gratiam obtinebit.

Poenitens vero causa esse potest informis Confessionis, si ipse se ad gratiam percipientem non

dam non legitimè præparauerit. Vnde deficiente præparatione, deficit effectus Sacramenti.

Quibus in casibus Confessio fit informis, gratiaq; destituitur?

*Quæstio
III.*

ID fieri potest ex parte pœnitentis compluribus modis. *Respoſio.*

PRIMO, quando quis putat se fecisse debitam diligentiam, quam tamen non fecit. Hic enim cum sua illa credulitate absolutus, implet præceptum Ecclesiæ, & excusat à nouo peccato, & nonnunquam etiā vi Sacramenti consequitur gratiam.

SECVNDO, cùm quis accedit cum dolore contritionis, ratus, se habere firmum propositum emendationis, quod tamen non habet; sed tantum conditionatum, quale est; velle hoc vel illud facere, vel omittere, si aliquo modo fieri posset. Et hic casus est frequentissimus, in quo confitens satisfacit præcepto, licet gratiam non consequatur.

TERTIO, si quis non oderit peccatum supra id omne quod detestandum est: Is quidem satisfaciet præcepto Ecclesiæ, gratiam tamen non consequetur. Obligatur enim pœnitens, cùm se offerunt rerum malarum comparationes, peccatum supra omne malum fugere ac detestari.

QVARTO, si quis ea, quæ requiritur,

H 4 careat

Caput III. De Confessionis

careat dispositione, atque de eo doleat: Satisfacit is quidem præcepto; sed gratia frustratur.

POSTREM O, si poenitens, dum se ad Sacraumentum præparat, aliquam committat negligentiam, quæ non fit mortalis: Fieri potest, ut satisfaciat præcepto, non etiam recipiat gratiam.

Notandum est autem, contritionem, & attritionem non differre intentione, vel remissione, vt quidam opinati sunt; sed inter se discriminauntur subiecto. Nam detestatio peccati sub ratione Diuinæ offendæ, sub quacunque intentione, etiam minima, est legitima contritio, etsi fiat speciali DEI auxilio, sufficit sola ad gratiam. Si autem procedit ex viribus naturæ, per se quidem non sufficit; putatur tamen sufficere cum Sacramento.

Eduersò quoque dolor etiam intensissimus, metu Gehennæ, aut alterius incommodi conceptus, est attritio, non contritio; & proinde per se sine Sacramento non sufficit ad salutem.

Deinde, vt verbo absoluam, is est, & dicitur verè contritus; qui odit peccatum virtutis amore: attritus, qui odit idem peccatum, formidine poenæ. Est autem inter cætra difficultimum discernere; num dolor de peccato, oriatur ex virtutis amore, an formidine poenæ.

Quid

*Quid requiritur in pœnitente, ne in-
formis sit Confessio, & Sacerdo-
tis Absolutio inefficax?*

*Quæstio
V.*

SI quis huius Sacramenti fructus particeps *Respoſio.*
eſſe velit, PRIMO necessaria eſt cordis
pœnitentia. Omnis enim homo (inquit Au- August. de
guſtinus) qui ſuæ voluntatis arbiter coſtitu- conſecrat.
tus eſt nouam vitam, ſcilicet gratiæ, inchoa- diſt. 4.
re non potest, niſi pœnitentia eum veteris vite.

SECUNDО, non ſufficit atteri ſiue de-
teſtari peccatum, propter ipſius turpitudi-
nem, Gehennæ metum, aut ſimilem aliquā
cauſam: Sed conteri oportet, hoc eſt, pecca-
tum odiſſe debemus propter DЕ VМ opt.
max. indignis modis à nobis offenditum. Hoc
patet ex illo Eſaiæ: Ad quem reſpiciam, niſi Eſa. 66.
ad pauperculum contritum corde, & tre-
mentem sermones meos? Quod autem hæc
contritio ex amore DЕ I debeat proficiſci,
& non ex metu ſupplicij tantum, clarè atte-
ſtatur S. Auguſtinus: Sine amore (inquit) Augu. lib.
DЕ I conſequetur veniam, ſine quo nemo de Confeſ.
vnquam inuenit gratiam?

TERTIO requiritur firmū animi propo-
ſitum à peccatis abſtinendi eorumq; occaſio-
nes vitandi. Eſt enim Pœnitentia, iuxta com-
munem omnium Orthodoxorum Patrum
ſententiā, præterita mala plangere, & plan-
genda iterum non committere.

H 5

Quem.

Caput IIII. De Confessionis

Quemcunque hunc in modum suorum pœnitit peccatorum ; licet non sit vehe-
mens , siue intensus admodum , & per lon-
gum tempus durans dolor : attamen abun-
dè sufficit , cùm ex opere operantis , tñm ex
opere operato , ad gratiam consequendam .
Confirmatur huius rei veritas ex Cap. Qua-
lis de Pœnitentia . Vbi dicitur : Quantulam-
cunque & quantumlibet breui tempore ge-
stam pœnitentiam D E V S acceptat .

Qui verò hac à nobis exposita contri-
tione caret ; etiamfi à Sacerdote absoluatur :
Fructum tamen Absolutionis nullum , neq;
etiam iustificationis gratiam obtinebit .

Quæstio Cùm attritio bona sit ; & à D E O :
VI. nōnne peccatori ad iustificatio-
nem sufficit ?

Respoſio. **S**CIO attritionem malam non esse , nec
hominem facere hypocritam , maiorem-
que peccatorem , (vt calumniantur hæreti-
ci) sed D E I donum esse , ac Spiritus sancti
impulsum ; præsertim si adsit spes veniae , &
peccandi voluntatem excludat : attamen ad
iustificationē vñq; peccatorem non perducit
sine Sacramento Pœnitentia ; sed tantum ad
D E I gratiam , in Sacramento Pœnitentia
obtinendam , disponit .

*Si itaque attritus desiderat obtinere gra-
tiam re-*

tiam remissionis peccatorum: necessarium est, ut attritio vertatur in contritionem. Fieri autem hoc potest duobus modis.

PRIOR E, si non modò Gehennæ metu; sed ex dilectione DEI, peccatum incipiat odisse. Ad iustificationem enim, si quid aliud maximè requiritur charitas: Quemadmodum testatur Paulus: Si tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil prodest &c.

1. Cor. 13.

POSTERIOR E, si attritioni, quam diximus, accedat Sacramentum Absolutionis, etiam in perfectam contritionem transibit; nec minoris erit efficaciam, quam contritio, cui adiunctum sit votum Confessionis.

*Confessio informis cum Absolutione
incipitne esse fructuosa, receden-
te fictione?*

*Quæstio
VII.*

DVOBVS modis Confessio potest esse *Responso.*
informis: Vno modo, ut sit repetenda:
Altero modo, ut nō sit iteranda. Priori modo iteranda est, si pœnitens careat intentione se Clauibus Ecclesie subiiciendi, & Sacramentum Absolutionis percipiendi: Sed vel tantum iocatur, vel etiam irridere studet. Hoc in casu à Diuino Confessionis precepto nemo liberatur; cùm etiam Baptismus absq; intentione suscepitus, nullus fit.

H 6

Rursus

Caput IIII. De Confessionis

Rursus si fiat absque omni dolore, & peccati detestatione; etiam sublata fictione nunquam reuiuiscit. Nam cum præter cæteras virtutes, quibus ornatur Confessio, etiam debeat esse accusans; ubi nulla apparet contritio, nulla etiam est accusatio; sed nuda duntaxat peccatorum narratio, vnde ita inefficax redditur; ut etiam debeat iterari.

Prætereà, si quis Confessionem ex intentione mutilet extra casus à iure permisso: ea prorsus inutilis est, nec per subsequentem cōtritionem reuiuiscit; quia secundum substantiam integra non fuit.

Quin & si quis ex notabili & culpabili negligentia discussionis non integrè confiteatur: Aut etiam, si integrè confiteatur, & non, sicut oportet, de peccatis doleat, cuius doloris defectus facile deprehendi possit à pœnitente: eius quoque Confessio nulla est, & iteranda, proptereà quod non censeatur esse integra.

Verum si pœnitens aliquo dolore peccati fuerit affectus, ac confiteatur cum aliquo etiam proposito emendationis vitæ; quamvis talis detestatio cum eiusmodi proposito non sufficiat, etiam cum Sacramento ad gratiam obtainendam: valida tamen erit Cōfessio, & per veram succedentem contritionem reuiuiscet, gratiamque conferet.

Nam

Nam huius Sacramenti, & Baptismi eadem est ratio, id quod disertis verbis testatur Concilium Tridentinum, dum inquit: Est Cōc. Trid. autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis Sess. 14. c. 2 post Baptismum necessarium, ut nondū regeneratis ipse Baptismus. Si itaque Baptismus recedente fictione, siue impedimento sublato, quō minūs fuerit efficax, vim suam exerit in baptizatum, tollens peccatum originale, atque omnem pœnæ reatum: proculdubio etiam Sacramentum Poenitentiae, ubi vera subsecuta fuerit contritio, peccatorum remissionem operabitur.

Quod autem Baptismus, recedente fictione, suum sortiatur effectum; præterquam quod sit cōcors omnium Theologorum doctrina, etiam comprobatur autoritate Augustini: Tunc enim (inquit) valere incipit ad salutem Baptismus, cùm illa fictio veraci Confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.

Neque hanc sententiam labefactat, quod Absolutionis verba iam præterierint, euauerintque; atq; idē nullam operandi vim habeant: Hoc enim & de Baptismo afferere licet; cùm tamē fides Catholica doceat, sublato per contritionem impedimento, peccatum originale tolli. Quare, si pœnitens postea ex animo detestetur peccatum propter DEV M offensum: Sacramentum Absolu-

Aug. lib. 1.
de Bapt. cōtra Donat.
cap. 12.
Quæ verba
etia referuntur in Ca-
no. Tūc va-
lere. de Cō-
sec. dist. 4.

Caput IIII. De Confessionis

tionis illi proficuum esse incipiet ad scelerū condonationem; nec superiora peccata tene-
tur iterum subiicere Clauibus Ecclesiæ; sed
sufficiet fictionem confiteri, nimirūm, quod
vel imperfectum existimet fuisse dolorem,
aut diligentiam in examinanda conscientia
non satis accuratam.

Quæstio VIII. *Estne informis Confessio sic valida, ut
non sit necessariò iteranda?*

Respoſio. **N**EC omnis informis Cōfessio est valida,
nec rursus inualida, & inutilis. Iudicium
verò, vtrum valida sit, nēcne, non satis ex eo,
quod informis fit; sed ex cauſis potius, ob
quas informis est, sumitur. Quæ quidē par-
tim ex Sacerdotis absoluētis, partim ex cō-
fitentis defectu petendæ sunt.

Quæstio IX. *Quando, propter Sacerdotis absoluētis
defectum, Confessio informis
& iteranda est?*

Respoſio. **A**ntequam soluatur hæc quæſtio, ſcire
oportet, quānam in Sacerdote absoluē-
te necessaria ſint, ut valida ſit eius Absolutio.
Requiritur enim in absoluēte potestas Or-
dinis Sacerdotalis: Si enim Sacerdos non fit,
remittere peccata non poterit. Solis enim
Sacerdotibus collata eſt huiusmodi Potestas
remittendi peccata, iisque ſolis, quo tempo-
re ad

re ad Sacerdotium promouentur, dicitur: Ioan. 20.
Quorum remiseritis peccata &c.

SECVNDO, requiritur in eisdem Po-
testas iurisdictionis super absoluendum. Id
quod patet ex Concilio Florentino, declará-
te; Sacerdotem non posse quenquam à pec-
catis absoluere, nisi iurisdictione habeat, vel
ordinaria vel commissam super absoluendū.

TERTIO, requiritur in Absolutione
Scientia, quā scilicet sciat, qua forma vti de-
beat, vt verè absoluat; aliōqui, si id nesciat,
quo pacto verè valeat absoluere, nō appareat.

QVARTO, requiritur in eodem Inten-
tio, sicut requiritur in ministro cuiuscunq;
Sacramenti, qua deficiente, nullum est Sa-
cramentum.

Igitur inter hæc omnia, si vnum aliquod
desideretur in Confessario: Absolutio erit
inualida. Hoc est, si Cōfessarius careat Pote-
state ordinis & iurisdictionis; si Formā igno-
ret Absolutionis, aut eam corrumpat; si In-
tentionem non habeat absoluendi: Confes-
sio semper inualida est, & idcirco iteranda.

Super est aliud impedimentum ex parte
Sacerdotis, de quo in sequenti Quæstione.

*Estne Absolutio à Confessario excom-
municato, nominatim denuntiato,* *Quæstio*
X.

planè nulla, & ideo talis Con-
fessio iteranda?

Con-

Caput IIII. De Confessionis

Réspōso. **C**onfessarius excommunicatus nominatim denuntiatus, tentans quenquā solvere, vel ligare, nihil facit, & absolutus ab eo, quantumuis bona fide confessus sit, tenetur aliam legitimam Absolutionem querere: **Quomodo enim, q ipsemēt ligatus est, alios poterit soluere, aut ligare?** Absolutio itaque impensa ab excommunicato denuntiata est nulla, non solum propter obicem, quem illi confitens ponit, communicando cum illo; sed etiam ob defectū potestatis propinquæ, quam talis excommunicatus non habet; quatenus priuatus non est, qui solum generaliter est excommunicatus, cuius gesta ratione publici officij vim obtinent.

Vnde sequitur, quod particulariter excommunicatus, non potest morientem solvere, nec moriens tenetur ei confiteri. Vnde tunc si alium non habeat Confessorem, perinde est; ac si copia Confessoris destituatur, quandoquidē ille excommunicatus propinquam potestatem non habeat ad soluendum quenquam: Tunc enim satis erit, si DEO confiteatur, quanquam excommunicatus in illo articulo necessitatis, possit à quolibet nō præciso absolui.

Quæstio Redditne malitia Confessarij, quemadmodum excommunicatio, Absolutionem inualidam, ita vt sit iteranda?

Nequa-

NEquaqueam: Quia non potest aliquis, *Respoſio.*
quantumcunq; pollutus fit, Sacramen-
ta Diuina polluere. Idcircò ab eo (quousque
iudicio Episcoporum reprobetur) commu-
nio percipienda eft.

Facit huc etiam ratio; quia Sacra menta
Ecclesiae non merito ministrantium inni-
tuntur, sed Christi institutioni, & meritis
eiusdem; quemadmodum Baptismus, à cri-
minoso Sacerdote ministratus, & Euchari-
ſtia à malo Sacerdote confecta, vera atq; om-
nibus numeris perfecta ſunt Sacra menta.

Deinde, fi Absolutio Sacerdotis, qui eft
excommunicatus (ſaltem generaliter) valet;
quid ni valebit impensa ab eo, qui nullo mo-
do eft excommunicatus, quamuis peccato
mortali ſit obnoxius?

Quæſtio
Eſtne Confefſio facta Sacerdoti, qui XII.
ignoret inter lepram, et non lepram
diftinguere, inualida, et
iteranda?

CONFESSIONE facta Sacerdoti adeò pec- *Respoſio.*
catorum omnium ignaro, vt nequeat
inter mortiferum ſcelus et peccatum leuiuscum-
lum diftinguere, planè inualida eft & iteran-
da. Veruntamen, fi poenitens eius eft erudi-
tionis, vt ea ipſe internoscere valeat, ac di-
ſtinguere; non ita multum refert doctus an
indo-

Caput IIII. De Confessionis

in doctus fuerit Confessarius. Confessio enim
rata erit, neq; iteranda.

Vna tamen h̄ic obseruanda venit cautio;
nimirūm, cūm pœnitēs aduertit Confessarii
non intelligere peccatorum diuersitatem, vt
eum instruat de peccati grauitate, seipsum
accusans, quōd huius aut illius generis pec-
catum lethale commiserit. Quare, si quis ita
confiteatur: hominem occidi, & recte; eō,
quōd is prior meum interemerit patrem.
Huius vana est Confessio, propterea quōd
Confessarium mittat in errorem.

Si verò tam pœnitēs, quam Confessor iu-
xtā ignorēt peccatorum eorum discrimina,
quæ communiter ignorantur, talis ignorā-
tia non impedit. Nulli enim contingit inter
omnia peccata scire de quolibet, an sit mor-
tale, vel non.

Si autem ignorantia sit magna eorumq;
criminū, quæ à paucis ignorantur, (vt quōd
iuramentum falsum, vel quōd vindicare se
de iniuria accepta non sint peccata) credide-
rim profecto, quōd teneretur iterare Con-
fessionem: *Quia cūm Confessarius non in-
telligit peccata illius; sanè neque ille confi-
teri censetur. Nam quomodò imponet pœ-
nitentiam, aut quomodò absoluet eum, cu-
ius peccatorū grauitatē discernere nequit?*

*Estne Confessio facta Sacerdoti quidē,
sed non aduertenti ad peccata confi-
tentis, valida, vel iteranda?*

Sine

Quæstio XIII.

Sine dubio ex quacunq; caussā non aduer-
tat peccata poenitentis, est Confessio ite-
randa. Sed tamen poenitens potest ignorare
inuincibiliter; an Cōfessor audierit, nec ne,
Si tamen constaret aliquo pacto, quōd Con-
fessarius, vel non audiuit, vel non intellexit
peccata, omnīnō tenetur iterare Confessio-
nem, eō quōd eiusmodi non habeat pecca-
torum cognitionem, vt de iis aliquam iudi-
cij sententiam ferre queat.

**Quando propter defectū pœnitētis Con- Quæstio
fessio informis, inualida, et iterāda est?** XIV.

Quoties confitens ponit obicem ipsi Ab-
solutioni. Id autē contingit tripliciter.

PRIMO, si excommunicatus sciens &
prudens confiteatur, petatq; à peccatis ab-
solui Sacramentaliter. Tum enim peccat cō-
tra interdictum Ecclesiæ; quia non viden-
tur se ferre hæc duo; scilicet, quōd sit aliquis
excommunicatus, & quōd durante excommunicatiōne,
se inḡerat Sacramentorum partici-
pationi. Excommunicatio enim est extra cō-
muniōnē positio, maximē Sacramentorum.

SECVNDO, si deest pœnitenti inten-
tio suscipiendi Sacramentum Ecclesiæ, Con-
fessio, etiamsi fuerit integra, necessariō de-
bet iterari. Si enim in administrante Sacra-
mentū requiritur intentio: sanè multō ma-
iori ratione ea desideratur in suscipiente.

TER-

Caput IIII. De Confessionis

TERTIO, cùm Confessio per se, & ex intentione diuisa est.

QVARTO, vbi nulla prorsus est determinatio peccati, quæ aliquo falso modo sit attritio, eiusmodi Confessio nulla est, & invalida. Nam Confessio est legitima peccatorum declaratio, per modum accusationis. Vbi autem nulla est contritionis scintilla, ibi Confessio nullam habet accusationis imaginé; sed similis est historicæ narrationi: quippe quæ nihil aliud sit, quam simplex peccatorum enumeratio. In omnibus illis casibus confitens ponit obicem Absolutioni: ideoq; Confessio eius invalida redditur, & iteranda est.

Quæstio XV. *Semp̄ne & necessariò diuisa Confessio est iteranda?*

Respoſio. *S*i diuisio Confessionis de industria fiat, iustaque cauſa destituatur, peccatum est; & ita confitens si absoluatur, vsque adeò nullum fructum percipit, vt se noui sacrilegij reum faciat.

SECVNDO, si verò Confessio diuidatur scienter ob causam excusantem; vt, si integrè fieri non potest sine periculo corporis, vel animæ, vel famæ &c. tunc licetē fecatur, & ita qui confitetur, non ponit obicē: quare & Confessio valida est, & nō iteranda; quamquam maneat obligatus peccator, quæ subticuit,

ticuit, seu occultauit peccata, tempore de-
bito confiteri; cum id citra periculum face-
re poterit commode.

TER TIO, si obliuio in causa sit, cur
Confessio minus integrè fieri potuerit. Cum
autem obliuio bipartita sit, distinctā oportet
adhibere responsonem. Nam obliuionis
causa potest esse, vel segnis & perfunctoria
conscientiae examinatio, vel præcessit sedula
ipsius disquisitio, & præterea nullum oc-
currit memoriae peccatum. Si prior obliuio-
nis causa heret in poenitente, & sit periculum
mortis, aut tempus cōmunionis instet, nec
extra scandalum prætermitti possit, tunc si
de peccatis doleat, simul & de negligentia
debitæ discussionis; in tali casu ob articulū
necessitatis, quia non superest sibi tempus
conscientiam discutiendi, debet absolui, &
valet Absolutio. Probatur, quia si non esset
absoluendus, id cōtingeret, vel maximè, quia
ponit obice secando Confessionem; sed hoc
locum non habet, quia in hac diuisione duo
præstat, scilicet, confitetur peccata, quæ me-
moriae occurrunt, & ea, quæ non occurrunt,
non confitetur: Sed peccata, quæ occurrunt,
confitendo, non peccat, & ea, quæ non oc-
currunt, non confitendo, non peccat; quia
obliuio eñ excusat. Negligentia etiam præ-
terita nō obstat, quia huiusmodi negligen-
tia per penitentiam; de ea habitam, excu-
satur, nec aliud potest ille peccator agere in
tali

Caput IIII. De Confessionis

tali articulo necessitatis positus. Igitur impendenda est ei Absolutio ob necessitatem, & valida erit, nec tenebitur postea, si periculum euadat, eadem peccata iterato confiteri; quāuis teneatur supplere negligentia priorē, diligenter discutiendo conscientiam suam, ut postea confiteatur plenē & integrē.

Extra articulum verò necessitatis, qui ex obliuione, ex negligentia proueniēt, Confessionem partitur, quamuis doleat de priori negligentia, non venit absoluendus, & si absoluatur, Confessio est invalida. Ratio, quia cùm ipsi superfit tempus ad conscientiā discutiendam, & eam discutere non vult, sed petit absolui, eo ipso ponit obicem Absolutioni ob Confessionis diuisionem, quę causa est ut iterari debeat.

Si denique Confessio diuidatur ex ignorantia, siue iuris, siue facti, qua credidit, nō esse peccatum, quod fecit, cùm tamen revera peccati esset; tunc iterum distinguatur; quia vel talis ignorantia, ex qua peccatum illud fecit, fuit invincibilis, vel non: Si primum, quamvis pœnitens illud non confiteatur, ut peccatum, nec velit de illo, ut de peccato, conteri, non est illi deneganda Absolutio, si aliud non obstat, de quo pōst, & Absolutio impensa erit valida, nec est iterata talis Confessio: Si verò talis ignorantia fuit culpabilis, & nolit de illo peccato conteri, nec illud confiteri, tunc culpabiliter dicit,

uidit, & ponit obicem, nec absoluendus venit. Quare Absolutio sic impensa, erit vana & Confessio iteranda.

Cum Sacerdos scit, confitentem peccatum aliquod commisisse, et tamen videt eum illud ex obliuione inculpabili non conferi; teneturne confitenti illud in memoriam reuocare?

Distinguendum est. Vel peccatum illud fuit solum in offendam DEI commissum, vel etiam in damnum proximi.

Si primum, non tenetur Confessarius illud peccatum oblitum cōfidenti in memoriam reuocare: quamuis ei esset valde utile. Verbi gratia. Commisit confitens fornicationem, vel adulterium, vel incestum, vel blasphemiam contra D E V M vel Sanctos; vel votum, vel iuramentum, sine alterius damno, violavit &c. non tenetur Confessor sciens confitentem illius peccati inuincibiliter oblitum certiorem facere.

Ratio est, quia id necessarium foret, vel ad integrē confitendum, vel ad consequendum veniam à DEO & Ecclesia: Vel demūm, ut p peccatis admisis satis fieret. Sed nihil horū locū habet in poenitente, qui per obliuionē culpa vacantem aliquod prætermittit.

Non primum, quia ad integritatem Cōfessionis seruādā, satis est, si peccator omnia mortalia,

Respoſio:

Caput IIII. De Confessionis

mortalia, quæ, præmissa debita discussione conscientiæ, memoriæ eius occurrerint, confeatur, paratus reliqua, cùm recordatus fuerit, confiteri.

Nec secundum, quia cùm talis confitens omnia gnauiter fecit, quæ ad remissionem obtainendam tām à D E O, quām ab Ecclesia facere tenebatur, dignus est, qui à D E O, & ab Ecclesia absoluatur; cùm ex parte sua nullum sit impedimentum. Igitur, vt cōsequatur veniam, non est necessaria talis instrucción.

Nec tertium, vt scilicet, satisfiat offenso; quia, quantum ad culpam, iam satisfecit per cōtritionē; quantum ad poenā, iam ex parte satisfacit per Confessionē; satisfacturus quod ad aliam partem per alia opera, vel in Purgatorio soluturus, nec plus ab eo D E V S offensus exigit. Igitur superuacaneū videtur eum instituere de peccato, cuius citra culpā nullam habet memoriam.

Sí verò peccatum sic oblitum, cesserit in damnum proximi, ex quo orta fuit obligatio restituendi, vel proximo, iniustè lœso, satisfaciendi, vt si Confessionario vidente cōfitens ille proximum iniustè diffamārit, aut rem eius per vim, seu clam abstulerit; tunc Confessarius tenetur de peccato oblio huīusmodi pœnitētem instituere, vt proximo satisfaciat, per eū iniustè lœso; aliōqui Confessario imputabitur culpa prætermissæ satisfactiō-

tisfactionis: Quoniam ei incumbit non solum confitenti, quæ illi necessaria sunt, suggerere; quandoquidem illi se subiicit, paratus, quod necessarium esse dixerit, adimplere; sed etiam alterius tertij damnum vitare, quando commodè potest.

Potestne confitens, qui peccatum aliquod mortale commisit ex ignorantia, putans videlicet, non esse peccatum, et in eadem ignorantia persistens, illud non confitetur, nihilominus absoluī?

Quæstio

XVII.

HIC iterum adhibenda est distinctio de *Respoſio.* qualitate ignorantiae: Nam si fuit vincibilis, peccauit, & tenetur illud cōfiteri, quod cùm non faciat, & Absolutionem petat, peccat mortaliter; ac proinde, si absoluatur, peccat absolvens, & Absolucionis est vana. Confessarius tamen in casu tenetur illum veritatē edocere, ut ea cognita doleat, & confiteatur, vt dignus sit Absolutione.

Si tamen ignorātia fuit inuincibilis; quia, scilicet, vel nunquā audiuit, sciuit, aut legit, illud factum fuisse prohibitum; vel si audiuit, aut legit, pro viribus tamen laboravit, vt veritatem sciret, & à viris fidē dignis intellexit, non esse peccatum, itaque illud fecit, & cum eadem ignorantia inuincibili confi-

I tetur;

Caput IIII. De Confessionis

retur; tunc si absoluatur, Absolutio vera est
& rata.

Quæstio XVIII. Estne Absolutio impensa fidei confitenti valida?

Respoſio. Confessio verè Sacramentalis non est, nec ex opere operato poterit vñquā prodeſſe, ſi in obice peccati mortaliſ faſta fuit. Pro quo particulariter ponuntur aliqua dicta.

P R I M U M. Quod confitenti necessaria eſt cordis pœnitētia, ut verè absoluatur. Hoc August. in patet ex Augustino, qui dicit: Omnis homo, Decret. de qui ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt, Conſecrat. nouam vitam, ſcilicet, gratiæ, non potest indiſt. 4. choare, niſi pœniteat eum veteris vita.

S E C U N D U M dictum. Ad cōſequen-
dam peccatorum remiſſionē requiritur Cō-
tritio. Quod patet ex illo Eſaiæ: Ad quem
iſpiciam, niſi ad pauperculum, & contri-
tum &c. Nihilominis, ſi pœnitens dun-
taxat ſit attritus, habeatq; propositum à pec-
catis abſtinendi cum ſpe veniam conſequen-
di, & accedat Absolutio, verè cōſequetur re-
miſſionem peccati, quemadmodum defini-
tum eſt in Concilio Tridentino.

Cōc. Trid. Sess. 14. **T E R T I U M** dictum. Non ſatis eſt ſic
de commiſſis conteri, ſed in ſuper neceſſariū
eſt, propositū poſtmodūm à peccatis abſti-
nendi. Hoc patet ex definitione Pœnitentie
à Patribus approbata: Pœnitentia eſt præ-
rita

Eſa. 66.

Cōc. Trid.

Ca. 4.

rita mala plangere, & plangenda iterum nō
committere.

QVARTVM dictum. Non etiam satis
est sic dolere, nisi propter D E V M, summē
dilectum hominem pœnitentia. Patet hoc ex
sententia Augustini, dicentis : Sine amore Aug. in li.
DEI consequetur veniam, sine quo nemo de Confes.
vnquam inuenit gratiam ? Quasi dicat, non.

QVINTVM dictum. Qui sic pœnitit,
etiam si non intensè, & per certum tempus
dolet, sufficiēter dispositus accedit, vt gra-
tiam, tām ex opere operantis, quām ex ope-
re operato consequatur. Hoc patet ex Cap. Cap. Qua-
Qualis de Pœnitentia, vbi dicitur: Quantu- lis de Pœ-
lamcunque, & quantum libet breui tempore nit. dist. 3.
gestam pœnitentiam D E V S acceptat.

Qui autem non accesserit cum ea pœni-
tentia, quæ dicta est, fictus accedit, & indi-
gnus, qui gratiam Absolutionis assequatur.
Ac proinde, si de facto fictus huiusmodi à
Sacerdote absoluatur, verè non absolvitur;
cum nō vera materia Absolutionis subsistat,
vbi Confessio non ex vera cordis pœnitentia
procedit, & per consequens huiusmodi
Confessio venit de necessitate iteranda.

Estne Confessio ob id, quod confitens *Quæstiō*
Pœnitentiae prius iniunctæ ob- *XIX.*
litus est, iteranda?

Caput IIII. De Confessionis

Respoſio. **N**ON: Quia cum eo confitit, quod Cōfessio prius facta, simul & Absolutio, fuerit legitima & valida, & propterea non iteranda. Nam fieri potest, pœnitentem cum debita contritione, & præmissa debita diſcussione conscientiæ, absque aliquo impedimento fuiffé suo proprio Parocho cōfessum; quæ Cōfessio & Absolutio, proculdubio fuit valida, tam ex parte conſitentis, quam absoluentis. Cōfessio autem & Absolutio semel legitimè facta, non potest reddi inanis per peccatum, pōst committendum. Ac proinde, si posteā ſuccedat iniunctæ pœnitentiæ obliuio: non inde fit, vt Absolutio, quæ fuit valida, ita spoliatur ſuo effectu; vt vana fiat.

Si tamen peccator velit in hoc ſæculo pro peccatis confessis ſatisfacere iuxta qualitatē, & quantitatē peccatorum, quæ commifit, & iniunctæ pœnitentiæ oblitus eſt; poterit eadem peccata iterū confiteri, ad finē hunc, vt debita pœnitentia illi iniungatur: attamen hoc voluntatis eſt, non necessitatis; quia liberū eſt pœnitenti, in hoc ſæculo ſatisfacere, aut ſatisfactionē ad Purgatorium differre.

Quæſtio *Estne Cōfessio, cùm necessariō reiterāda eſt, particulariter et explicitè repetenda; an ſufficit, in genere dicēdo: Conſiteor me omnia illa commiſſe, que olim vobis confessus fui?*

SI

Si peccata tua iterum confitearis, sed alij Sacerdoti, tunc nō dubium, quin in particulari sit reiteranda.

Si autem fiat priori Confessario: distinguunt Doctores; quia vel peccata prius confessā exciderunt à memoria illius Confessarij, vel non: Si non, satis est Confessionem in genere reiterare; secus autem, si à memoria Confessarij exciderunt.

Potestne Confessio peccatorum legitima & valida semel facta, nulla necessitate compellente; sed sua sponte, à pénitente licet, & cum fructu reiterari?

Distinguendum est de Confessione, & de Absolutione; cùm vtriusque non par sit ratio. Nam de Confessione nulla est quæstio; quin possit eadem frequenter eidem, & diuersis Sacerdotibus fieri; Nec dubium est, huiusmodi iteratam Cōfessionem eorundē peccatorū fructuosam esse ex opere operantis, ratione humilitatis ipsius peccatoris; & ratione reiteratæ contritionis: ex qua denuo Confessio procedit; & ratione verecundiæ, quam in ipsa peccatorum Cōfessione habet. Et demum ratione consilij & correctionis, qua ei Confessarius potest subuenire.

Clarissimum huius doctrinæ testimonium peti potest, tūm à cōmuni Doctorum, et san-

Caput 111. De Confessionis

etitate eminentium virorum sententia, qui pœnitentē cum spe veniæ sua peccata sèpius confitentem optimè suæ saluti consilere decernunt: tūm etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ non modò eorum, qui religioni alicui, ab Ecclesia approbatæ initiantur; verūm etiam & eorum, qui in sæculo permanent, vehementer approbat, atq; ad eam sedulò adhortatur.

De Absolutione autē iterata super iisdem peccatis, etiam cum distinctione respondendum est: **Quia** duobus modis potest iterari Absolutio eorundem peccatorum. Vno modo, reiterata Confessione; Alio modo, ea nō reiterata. Et quidem, si Confessio non reiteretur; sed ea semel tantum facta, reiteretur Absolutio bis, aut ter, aut pluries; tunc probabile est, talem Absolutionem nihil gratiæ adiungere superiori, haud secus, quām si quis in eadem Missâ plures hostias accipiat, nihilo plus gratiæ, quām si vnam duntaxat acciperet, obtinebit.

Si tamen Confessio iteretur, simul & Absolutio; tunc talis Absolutio toties proderit, quoties Confessio iteretur, modò non ponat obicem ipse confessus. Sicut quoties dignè celebrat, toties illi proderit ex opere operato, Eucharistiam suscipere.

Dixi (nisi confitens obicem ponat) quia qui Confessionem reiterant, cum animo iteratam Absolutionem ab eisdem peccatis recipiendi, possunt huius consilij & propositi, dupli-

duplicem habere causam. Vel enim ex opinionis errore pœnitens sibi persuadet, propter peccatorum multitudinē grauitatemq; superiorem Absolutionem non satis efficacē fuisse. Hoc enim de Sacramentis sentire impium &c, infidelitati, aut hæresi proximum foret, & Absolutio nullius esset impedimenti.

Aut Confessionem iterant ex humilitate, & deuotione, quā ad huiusmodi Sacramentum habent, omni tali diffidentia, cæterisq; impedimentis seclusis; tunc licet, & fructuose talis Confessio cum Absolutione, ut supra dictum est, iteratur.

*Dic compendio: quando Confessio est Quæstio
irrita, & iteranda; quando rata, & XXII.
non iteranda?*

OMnis Confessio ratione pœnitentis irrita est, & iteranda. *Respoſio.*

Quæ fit absque intentione suscipiendi Sacramentum.

Quæ ex intentione mutilatur extra casus à iure permissoſ.

Quæ caret omni dolore, ac detestatione peccati.

Quæ fit cum insufficienti dolore, cuius imperfectio à pœnitēte facilè cognosci potest.

Quæ fit sine iusta conscientiæ discussione.

Ratione Cōfessionarij irritatur omnis Cōfessio, & iteranda est:

Caput IIII. De Confessionis

Si Cōfessarius careat Potestate ordinis, vel iurisdictionis.

Si non habeat voluntatem conferendi Sacramentum.

Si ipsius iurisdictionis per censuram Ecclesiasticam sit impedita.

Si Absolutionis formam non dicat.

Si Absolutionis formam corrumpat.

Si adeo sit indoctus, ut nesciat inter lepram,
& non lepram distinguere.

Si excommunicatus fit.

Ratione satisfactiōis iterāda venit Cōfessio.

Si careat voluntate satisfaciendi. Huiusmodi enim pœnitens non habet voluntatem suscipiendi Sacramentum integrē.

Veruntamen, si quis initio statuat satisfacere; postea verò non impleat: illius Confessio non est iteranda. Sine pœnitentia enim sunt dona DEI.

POSTREMO, propter casus reservatos iteranda est Confessio. Vnde excommunicatus, si confiteatur priusquam absolutus est, illius Confessio planè irrita est.

Quæstio XXIII. Suntne peculiaria quedam vitia, propter quæ, suo fructu spoliatur Confessio?

Respoſio. Vnt sanè non pauca, ac PRIMO omnium Confessionem vitiat laus ex humili scilicet & diligenti Cōfessione quæſita; vt si quis ex

ex humili & pura Confessione laudem venetur. Quare, si quis hoc malo senserit se vulneratum, ne formidet in fine Confessionis vulnus detegere, ut salutarem obtinere valeat Absolutionis medelam.

SECVNDO, inutilem reddit Confessionem deriuatio peccati in DEVM. Est enim ferè nobis hoc vitiū agnatū, & ab Adamo transfusum in nos cū tota infelici hæreditate, ut vitiū in alium deriuemus. Mulier (aiebat ille, DEVM videlicet reum facturus) quam dedisti mihi sociam, dedit mihi: quasi dicat: Nisi tu mihi sociam dedisses mulierem, non eram peccaturus. Sic veteres quondam Iudæi: Quare ieunauimus, & nō aspexisti? Humiliauimus animas nostras, & Esa. 58. nesciuisti? Non est æqua via Domini; quasi DEVM iniquitatis, nō se violatae legis reos constituentes.

TERTIO, aliij peccati caussam reiicunt in Diabolū. Sic illa dicebat: Serpens decepit Gen. 3. me; quasi verò Diabolus homini nece sitatē inferre, aut ad peccatū compellere posset.

QVARTO, aliij peruersitatis suæ noxā optimis DEI creaturis ascribunt. Quid enim aliud agunt, qui se, nescio quo Planeta, natos quiritantur; ut à furtis, vel scortationibus abstinere nō possint, quam ut DEI creaturas, atq; in DEVM ipsarum Conditorem culpam detorqueant.

QVINTO, se ita natos esse aiunt aliij; vt

Caput IIII. De Confessionis

nisi potest, sint morbi contracturi, nimis corporis temperaturā ita mendaciter incusantes, ut cedat in blasphemiam Diuinam.

S E X T O, non desunt, nec defuerunt unquam, qui sibi hoc nomine placent, quod in peccati causam proferre queant suggestionem, blanditias, dona proximi, quibus expugnati, peccato vietas manus porrexerint, quorum Confessio, cum non sit tam accusans, quam excusans, nullū sortitur effectū.

S E P T I M O, pro sua impudentia peccatorum praetextum querunt alij ex Diuni adiutorij subtractione. Sed impia horum est excusatio, cui Apostolus dicat: Fidelis DEVS, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cui temptatione prouentum. Verum est, desertum à gratia non posse abstinere à peccando: DEVS tamen suos ita conservat, etiam orbatos gratia, cum per Angelos ministros tentationes amovet; ut facilissimum sit in peccatum non ruerere. Quapropter faceant cauillationes, apologiae, & peccatorum extenuationes, ne blasphemiae in DVM nos alligemus.

Sunt **P O S T R E M O** non pauci, qui suorum peccatorum Confessionem instituētes, suas potius depredicant virtutes, quam peccatorum se reos faciant. Aiunt enim Diuina sauente clementia, orationibus & aliis Christianæ religionis officiis vacauit, me integrum à peccatis custodiui; praterque quod non satis gratum

1. Cor. 10.

gratū me de beneficiis Dñi in anima dver-
tam. Hi sunt similes Phariseo, cuius oratio in **Luc. 18.**
sui præ aliis laude consumebatur.

QVOCIRCA, qui vult rectè confiteri,
dicat oportet: Ego sum, q̄ peccavi; ego q̄ ini-
quitatē cōmisi; **DEVS** gratiā obtulit, sæpius
me liberauit: Ego tamē per meā improbita-
tē, ac summū nefas, in istud me crimē cōieci.

C A P V T V.

De Effectibus & Vtilita- te Confessionis.

Liberatne Confessio à morte peccati? **Quæstio**

I.

Respoſio.

POENITENTIÆ, in quantū est
Sacramentum, præcipua pars est
Confessio, quia per eā homo mi-
nistris Ecclesiæ se subdit, qui sunt
Sacramentorum dispensatores. Deinde con-
tritio votum Confessionis annexā habet, &
satisfactio pro iudicio Sacerdotis, cui fit Cō-
fessio, imponitur. Et quia in Sacramēto Pœ-
nitentiæ gratia infunditur, per quā sit remis-
sio peccatorū, sicut in Baptismo: Ideò eo mo-
do Confessio ex vi Absolutionis coniuncta,
remitit culpam, quæ dicitur mors animæ,
sicut & Baptismus. Quare Cōfessio dñi pec-
catorēm à culpa liberat, eum à morte peccati
liberare dicitur.